

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 878

**Auteur(s)** : Guillaume de Semilly, fils d'Enguerrand du Hommet [particulier]

**Bénéficiaire(s)** : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1181-1198]

**Lieu d'émission** : Bayeux

**Action juridique** : restitution

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Guillaume de Semilly, fils d'Enguerrand du Hommet et de Cécile de Semilly, concède à perpétuité et garantit au chapitre de Bayeux qui la réclamait l'église de Pert (Saint-Germain-du-Pert), avec toutes ses appartenances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° LXXXVII, t. 1, p. 110-111.

## Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Omnibus Christi fidelibus, ad quos praesens scriptum pervenerit, Willelmus de Similleio, filius Engerrandi de Humeto, salutem. Noverit universitas vestra quod, cum canonici Baiocenses peterent ecclesiam de Pert, proponentes quod Willelmus de Similleio, avus noster, ad cuius praesentationem ipsa spectaverat, eam donaverat ecclesiae Baiocensi, secuto post ea assensu Ceciliae, filiae et haeredis suae, et matris nostrae, nos contra pium factum eorum venire nolentes, illam donationem concessimus, et pro salute nostra et omnium parentum nostrorum ecclesiae Baiocensi reddidimus dictam ecclesiam de Pert, a canonicis ecclesiae Baiocensis in communia in perpetuum integre habendam : videlicet, cum duabus garbis decimae, et tertia, de tota parrochia de Pert, et terra elemosinae, et singulis annis centum anguillis, et prato, et omnibus aliis pertinentiis. Promisimus quoque quod hanc concessionem in perpetuum tenebimus, et eam, ubicumque necesse fuerit, ecclesiae Baiocensi propriis ejus expensis garantizabimus. Et ut haec nostra concessio et promissio a nobis et successoribus nostris firmiter observentur, super sancta evangelia, praesente domino Henrico, Baiocensi episcopo, de cuius feodo sunt ecclesia et parrochia de Pert, juravimus quod praedictam nostram concessionem in perpetuum servabimus. Ut autem ea, quae tam sollempniter acta sunt, in perpetuum memoriter teneantur, et firmiter in posterum perseverent, praesentis cartae testimonio et sigilli nostri munimine roboravimus. Testibus his: Jordano, et Radulfo, et Roberto, archidiaconis Baiocensibus ; Patricio, subdecano ; Henrico, succentore ; Henrico, custode ; Ricardo, filio Mauricii ; Johanne Groigneth ; Rogero Bove ; Gaufrido, et Thoma de Anfrevilla ; Roberto de Perreriis ; Willelmo Godriz ; Petro de Bosco, canonicis ; Petro de Lambervilla ; Henrico Malherbe ; magistro Godart ; Willelmo de Riviers ; Willelmo

de Grae ; Willelmo de Wiarvilla, Rannulfo de Pert ; Rogero de Logis ; Rogero Genero (?) de Monte Raimbout ;  
Widone de Maigneio, militibus ; Robin de Similleio ; Radulfo Foluis (?), clerico ; et aliis quam pluribus.